

EPISTULA LEONINA

CCXX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXIX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM VICESIMAM (220) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	02
FEMINA SEXU INGENIO VIR.....	03
ANGELUS SOLIMANUS.....	04
OFFICINA VERBORUM (II).....	05-06
FABELLA GRIMMIANA (102): De urso et ave regulo.....	07-09
DE AVE REGULO.....	10
NARRATIUNCULAE PUERI MALEMORATI (IX).....	11-18

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*iamiam tibi offero Epistulam periodici Leonini ducentesimam
vicesimam (220); utinam tibi haud ingrata sit! Tolle lege
mirare.*

Tu autem vale pancraticê et perge mihi favere.

**Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 27. m.Septembri a.2020**



FEMINA SEXU INGENIO VIR

Comitissa Ruralis Henricula Carolina Hassico-Darmstadiensis (1721-1774)

Carolina Henricula manum imponit umero pueri nigrítani.

Circa annum 1750 pinxit Antonius Pesne.

Quae comitissa ruralis cum Friderico III. Rege Borussiae familiariter conversans una fuit ex paucissimis mulieribus, quas is vir magni aestimavit. Idem Henriculam Carolinam aliquando appellavit *nostri saeculi decus et admirabilitatem* et in huius mulieris funus Darmstadium misit urnam marmoream, cui inscripta erant haec verba Latina: „**FEMINA SEXU, INGENIO VIR**“. Quae urna adhuc spectari potest in Horto Dominorum (*Herrngarten*).



ANGELUS SOLIMANUS (1721-1796)

**Regiae Numidarum gentis nepos decorâ facie, ingenio validus,
 ôs humerosque Iugurthae similis, in Africâ in Siciliâ Galliâ,
 Angliâ, Franconiâ, Austriâ omnibus carus,
 et fidelis Principum familiaris.**

OFFICINA VOCABULORUM (II)

Praeparationes Orbis Picti Hexaglotti

1. Bergsteigen – mountaineering – alpinisme – alpinismo – alpinismo

ascēnsiō montium

Eichenseer, Latinitas Viva, Pars Lexicalis, 2.ed., p.178; Caelestis coryphaeus Latinitatis Vivae et Algoius, i.e. vir verê montanus, eodem in opere pp.178-183 permultos affert locos Thesauri Linguae Latinae aliorumque fontium ad ascensionem montium pertinentes.

***orībasia**, -ae f.

***orībatēs**, -ae m.

***orībaticus**, -a, -um

cfr ThLL IX 2 974,4: ? **oribata**, v.p.555,39 sq.: = ThLL IX 2 555,39 sq.: funambuli+ olibatae, neurobatae FIRM.Math.8,7,14. --- cfr LIDDELL-SCOTT, p.1247: “ὄρειβασία, ἡ, wandering on mountains, in pl., Str.10.3.23, Ael. NA 3.2, Max.Tyr.34.1. ὄρειβάσια (-ᾶ-) (sc. ἱερά), τά, a festival in which persons traversed the mountains in procession, Str.12.4.3. ὄρειβατέω traverse mountains, cum acc., D.S.5.39. II roam the mountains, AP 10.11 (Satyr.) Plu.Fab.7; of horses, Str.3.4.15. ὄρειβάτης, (-ᾶ-), ου, □, mountainranging, Θήρ, S.Ph.955; Κύκλωψ E.Tr.436; αἶγες, πιθήκη Ael.NA 14.16, 6.26; ὄρνις Ar.Av.276...”

cfr neograeca verba, q.s.: ὄρειβασία - ὄρειβάτης - ὄρειβατικός

2. Klettern - rock climbing – grimpe, escalade, varappe – escalada – arrampicata - *ērēptiō, -ōnis (rūpium)

N.B! Vocalis syllabae paenultimae est longa! **Ērēptiō** ducitur ab **erēpendo**, non est ērēptor, qui ducitur ab eripiendo.

cfr temporalia verba antiqua q.s. **ērēpere** et eius forma intensiva q.e. **ērēptāre**.

cfr OLD p.615, s.v. erepo: “...2 **To** crawl or **clamber up**; (also tr.). dum cupit in sociam Gyareus **erepere** puppem LUC.3.600; nuntiatio **erepi** posse in castellum FRON.Str. 3.9.3; territus quod is a tergo insulae per aspera **erepsisset** ad se SUET.Tib.60; (*in fig.phr.*) cum in consummationem dignitatis per mille indignitates **erepsissent** SEN. Dial.10.20.1; (poet., of something static) inde per obliquas **erepit** porticus arces (STAT. Silv.2.2.30; - montis quos numquam **erepsemus**, nisi nos uicina uilla recepisset HOR.S.1.5.79.”

cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, tom.I, col.2449: “**ērēptō**, āre (intens. v. erepo) emporklimmen, emporklettern, timuit Loth ardua (auf die Höhe) tardo ereptare gradu, Ps.Cypr.Sodoma 92.

cfr Eichenseer, Latinitas Viva, Pars Lexicalis, 2.ed., p.180, 2): **rupium ascensor** ...id. p.181: **Kletterer** (klettern)..”

***petrobatēs**, -ae m.

cfr <http://latindiscussion.com/forum/> threads/rock-climbing.8771/: “**Jul 5, 2010 I'm trying to find appropriate terms for rock climbing.** It's a relatively new sport that has only reached its modern form in the last couple of decades and so it's not likely to have many Latin terms for it. So far, I've found the terms **montium ascensor** and oribates (or oribata, -ae) from the Greek ὀρειβάτης, literally mountain-ranging. Vicipaedia uses this word for Edward Hillary. - A rock climber (**who is quite different from a mountain climber, or a mountaineer**) is given as **petrobata**, -ae. - **But I need a verb for climbing, for use in instances like 'I'm going climbing tomorrow'**. Greek already has a rare verb from which the Latin is derived (πετροβατέω - I climb rocks). But Latin can't use the Greek verb here of course. I'm left with a term for the climber, but not a verb for what he/she does... - I could use scando and ascendo of course, but I was thinking that it'd be better to mirror the Greek and form a compound Latin verb, from which I can form a noun for rock climbing. Trouble is, I don't know how to make a Latin verb. I'd really appreciate any help you could spare on this....”]

IN OFFICINA VERBORUM OPERATUR LEO LATINUS

FABELLA GRIMMIANA (102)

De urso atque ave regulo



Tempore aestivo aliquando ursus atque lupus ambulabant, cum subito ursus cantilenam audiens aviculae: »Heus frater lupe« inquit »qualis avis est haec, quae cantat tam pulchrê?«

Deinde lupus: »Haec est« inquit, »rex avium, coram quo oportet capita declinemus«; avis autem cantans fuit regulus.

Tum ursus: »Si ita est« inquit, »velim spectare illius palatium regium, veni et duc me illuc«.

Nunc lupus: »Hoc non ita fit ut tibi videtur. Oportet exspectes, usque dum veniat Domina Regina«. Brevi post vênit Domina Regina pabulum gerens rostro insertum pullos cibatura. Ursus nunc cupivit statim sequi, sed lupus manicâ eius retentâ: »Exspecta, dum Dominus Rex atque Domina Regina abierint«. Ergo foramine invento, ubi nidus erat positus, abierunt. Ursus autem inquietus valdê cupiebat spectare palatium regium et brevi post regressus est ad nidum. Tum Rex atque Regina evolaverant; ursus nidum inspiciens vidit quinque sexve pullos ibidem cubantes.

Tum ursus vociferatus »Num hoc est palatium regium! Istud est palatium misericulum! Nec vos estis infantes regii, vos estis spurii!« Pulli reguli cum hoc audivissent, vehementer irati clamaverunt: »Non est ita! Tales non sumus, parentes nostri sunt aves sincerae; vae tibi, urse, pro isto verbo poenam luere debebis!« Tum ursus lupusque pertimescentes in cavernas suas reversi consederunt. Pulli autem reguli perrexerunt clamare et strepere, et parentes reversi cum

pabulum afferrent, pulli dixerunt: »Nos ne pediculum quidem muscae attingemus, etsi fame peribimus, antequam diiudicatum erit, utrum nos simus pulli legitimi an spurii; nam ursus adfuit nobisque maledixit«.

Tum regulus vetus: »Quiescite, hoc diiudicabitur«. Deinde îdem unâ cum Dominâ Regulâ ante cavernam ursi volavit et intro vocavit: »Uncator^{*} vetule, quare pullis meis maledixisti? Istud male tibi eveniet, diiudicabitur enim bello cruento«. Ergo urso bellum indictum est et omnia animalia quadrupedia invocata sunt, urus et asinus et bos et cervus et caprea et quaecumque in terris sunt cetera. Regulus autem invocavit omnia, quae volant in aëre; non solum oportuit, ut advenirent aves magnae atque parvae, sed etiam invocati sunt etiam culices, crabrones, apes, muscae.

Tempore autem veniente, quo bellum fuit incohandum, regulus nuntios emisit, qui indagarent, quis esset hostium imperator. Culex cum esset omnium animalium volaticorum versutissimum, circumvolabat in illis locis silvae, ubi hostes erant congregati, et denique folio alicui subsedit, ubi consilia fiebant belli gerendi. Ibidem ursus stans vulpem marem advocatum sic allocutus est: »Vulpes, tu es omnium animalium callidissimum, oportet tu sis imperator nosque ducas«.

Hôc audito vulpes: »Bene«, inquit, »sed quo signo utamur?« Nemo hoc scivit. Tum vulpes: »Mihi est cauda longa, pulchra, pilosa, quae formâ ferê est rubrae cristae pennarum; hanc caudam si sustulero, res bene successerit, et necesse erit impetum faciatis; at caudam si demisero, necesse erit aufugiatis quam celerrimê. His auditis culex domum volavit reguloque omnia prodidit quam diligentissimê.

Primâ luce eius diei, quo proelium fuit committendum, babae, animalia quadrupedia incursabantur cum strepitu perterricrepo; regulus autem advênit cum exercitu suo aërio, qui tam vehementer clamabat, fremebat, bombizabat, ut terror et timor iniceretur hominibus; unus autem exercitus in alterum impetum fecit ex utroque latere. Primo regulus crabronem demisit, ut caudae vulpis subsideret

* **uncātor**, -ōris m. orig. *Brummbär*. uncāre, -ō. Ursīi sonum ēdentēs dīcuntur uncāre. SUET.Carm.Phil.50. ANTHOLOGIA LATINA 762,51 (233,51).

et pungeret quam vehementissimê. Nunc primo ictu crabronis accepto vulpes alterum pedem tollens micavit, sed dolorem patiens caudam tenebat sublatam; altero autem ictu accepto vulpes non potuit, quin paulisper caudam demitteret; at tertium ictum acceptum non iam passa clamavit caudamque pedibus interposuit. Animalia autem quadrupedia cum hoc conspexissent, omnia esse perdita putantes coeperunt aufugere, omne in cavernam suam; sic factum est, ut victoriam parerent animalia volatilia.

Tum Dominus Rex et Domina Regina domum volaverunt ad pullos suos et vocaverunt: »Heus pulli, gaudete, comedite, bibite quantumque cupitis, nos victoriam peperimus«. Pulli autem reguli dixerunt: »Nondum comedimus, primo oportet ursus veniat ante nidum nostrum et deprecatus confiteatur nos esse pullos legitimos«. Tum regulus ante cavernam ursi volavit et vocavit: »Heus urse uncator, oportet repas ad nidum pullorum meorum et deprecatus dicas illos esse pullos legitimos, alioquin costae, quas habes in corpore tuo, conculcabuntur«. Tum ursus summo timore commotus illuc repsit et deprecatus est. Nunc tandem pulli reguli contenti cum essent, hilarissimi consederunt, comederunt, combiberunt in multam noctem.



FABELLAM GRIMMIANAM

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

**AVIS REGULUS ANTIQUORUM
QUALE GENUS AVIUM SIT
UTRUM EST ORNITHOLOGORUM *REGULUS* AN *TROGLODYTES*?**



Troglodytes troglodytes
(theodiscê: Zaunkönig)



Regulus regulus
(theodiscê: Goldhähnchen)

Otto Keller mundi bestiarum antiqui indagator doctissimus (*Die antike Tierwelt, tom.II, Leipzig 1913, p.82 sq.*) putat nomen regale (*rex, regulus, βασιλεύς, πρέσβυς*) originaliter attributum esse *Regulo regulo* propter fasciculum pennarum aureum capiti insitum, coronae quadamtenus similem, qui erigi possit. cfr PLIN.nat.X 204 sq. Sunt enim quaedam his bella amicitiaeque...dissident...aquilae et **trochilus**, si credimus, quoniam **rex appellatur avium...regulus et terrestris** (coni. Saint-Denis, codd. rursus cum terrestribus) mustela et cornix... cfr Ps.ARISTOTELES, Historia animalium 9,1,p.609a17 ; 911,p.615a19).

NOMEN REGIS AVIUM INDAGAVIT LEO LATINUS

NARRATIUNCULAE PUERI MALE MŌRATI

(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

PARS OCTAVA: DE AVUNCULO FRANCISCO (*Onkel Franz*)

Pars I: De Gretulâ Vollbeck EL 144, 4-12; pars II: De primo amore meo EL 145, 7-14; Pars III: Magister Puellulus EL 155, 4-16; Pars IV: Feriis quae facta sint EL 164, 14-23; Pars V: Sponsalia EL 169, 13-19; Pars VI: Nuptiae 173,12-20; PARS VII: De Periurio EL 205, 15-22; PARS VIII: De avunculo Francisco EL 218, 7-10.



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.



PARS NONA (IX)

De infantulâ (*Das Baby*)

Inter vacationem paschalem *Bindinger* et *Maria* venerunt, quia ille nunc non iam habitavit prope nos, sed professor fuit Ratisbonae.

Iidem secum attulerunt infantulam suam. Quae nunc est bimula et vocatur *Maria* nomine matris.

Sed a sorore meâ vocatur *Mimia*, a matre meâ vocari solet *Mimilia*.

Infantula qualis vocetur a *Bindingero*, non certê scio. Saepe quidem vocat eam puellulam, sed cum eâ colloquens plerumque ore acuto dicit: "Heus tu, heus tu, tu tu!"

Huius infantulae caput est permagnum, nasus tam simus quam nasus *Bindingeri*. Infantula autem per totum diem digitum tenens ori inclusum homines aspectat stultissimê.

Cum illi essent venturi, mater mea iit ad stationem ferriviarum et deinde omnes huc unâ vecti sunt raedâ meritoriâ.

Mater Mariaque puellulam manibus porrectis huc duxerunt. *Bindinger* autem eas secutus est.

Per scalas ascendentes iam vividê inter se collocutae sunt materque iterum iterumque dicebat: "En nunc adestis, liberi! Babae, Mimilia quantum crevit! Hoc non putaveram!"

"Nonne, Mamma, tibine quoque sic videtur? Omnes homines hoc dicunt. Doctor Steininger, medicus noster, scin' ei hoc mirum videri? Nonne ille sic dixit, Henricule?"

Deinde audivi vocem Bindingeri gravem dicentis: "Rectê dicis, patet puellulam bene crescere, Deo gratias!"

Tandem illi supra advenerant, ego autem ad ianuam steti.

Soror me osculata est, Bindinger mihi manu porrectâ: „Ah, ecce studiosus noster! Nonne Caesar tibi nonnullas affert difficultates? *Gallia est omnis divisa in partes tres*, haha!"

Iam credebam illum velle me examinare, cum mater mea vocavit: "Heus Ludovice, nondum salutasti Mimiliam, quamquam nepticulam tuam vides primum omnium! En aspice illam! Quam cara et bellula est illa!"

Equidem illam nequaquam duxi bellam; quae talis erat quales omnes infantuli. At ego infantulam mihi placere simulans satis cômiter subrisi, ut mater mea bona gaudens Mariae diceret: "Viden? Statim scivi fore, ut ei Mimilia placeret. Ah quam lepida est haec puellula!"

In mediano ientaculum erat paratum; Catharina nostra iussa est afferre tomacula* necnon praebita est cervesia Martia.

Equidem cibus perfructus sum, sed alii comedendo non vacaverunt, quia semper semperque studebant infantulae curandae.

Quam voluerunt manûs suas monstrare, et cucullo deprompto apparuerunt infantulae cincinni flavi; tum denuo clamaverunt, quasi hoc esset aliquid insolitum.

Mater mea osculabatur caput infantulae et Maria iterum iterumque dicebat: "Heus Mimilia, haec est tua avia!" Necnon Bindinger dorsum

* **tomāculum**, -ī n. orig. *Bratwurst*.

tam vehementer declinavit, ut prorsus erubesceret dictitans: "Tu, tu! Heus tu, heus tu!"

Tum Mimia subito cum vagiret, Maria matris auri aliquid insusurravit et ambae cum infantulâ celeriter sunt egressae.

Bindinger autem intra mansit, sed non consedit comesum, sed huc illuc ambulabat vultu anxio. Deinde per ianuam vocavit: "Heus Maria, num quid gravius est factum?" Maria: "nequaquam!" inquit, "iam est transactum."

Deinde mulieres unâ cum infantulâ revenerunt et mater mea: „Eheu cogitate longum fuisse iter ferriviarium, postea ista insolita et tumultuosa! Istis omnibus gravatur puellula."

Equidem gavisus sum eas tandem sedere infantulamque stibadio imposuisse, nam tomacula iam refrixerant.

Nunc comedere et bibere coepimus hyalis in laetum Festum Paschale propinantes.

Mater mea dixit se iam diu non tam laetam fuisse quam nunc, quia nos omnes essemus congregati et Maria aspectu esset tam bono et Mimilia esset lepidissima. Necnon me melius hodie testimonium ex scholâ mecum apportavisse quam alioquin.

Iussus sum testimonium afferre Bindingero, et is notas recitavit.

"Hic discipulus quamvis sit modico tantum ingenio, si esset industriosior, meliora assequeretur."

Deinde indicatae sunt. Linguae latinae nota mea fuit III (tertia).

Bindinger: "Hm! Hm!" inquit, "haec congruunt cum expectationibus meis. Mathesis nota II-III (secunda ad tertiam), graecae linguae nota III-IV (tertia ad quartam)."

Tum ille ex me quaesivit: "Quare hac in disciplinâ tantulum assecutus es?"

Deinde mater mea: "De Graecâ linguâ" inquit, „Ludovicus saepe lamentatur; quae videtur esse difficilis."

Utinam ne mater me defendisset! Nam Bindinger nunc tot verba fecit, ut prorsus nausêâ corriperer.

Qui barbâ permulsâ se gessit quasi esset in scholâ.

Bindinger enim: "Quid est" inquit, „cur dicas talem sententiam! Animus meus contristatur, cum semper semperque audiam sententiam tam pravam. Nam ipsa lingua graeca propter suam symmetriam formarumque perspicuitatem est insigniter facilis. Quae discitur cum facilitate lusoriâ!"

Tum mater me interrogavit: "Si ita est, quare notam accepisti III-IV (tertiam ad quartam)? Oportet nunc dicas, quae sit tibi difficultas, Ludovice."

Gavisus sum, quod Bindinger non exspectavit, quid dicturus essem. Idem uno pede alteri imposito ad lacunar prospiciens etiam etiamque maiore voce loquebatur:

"Haha!" inquit, "graecam linguam esse difficilem! Non contradicerem, si loqueremini de dialecto doricâ, quia eiusdem sermone duriore quaedam oriuntur difficultates. At quod dicitis difficilem esse dialectum Atticam, hanc felicem palaeoionicae dialecti efformationem! Hoc est inauditum! Ista sententia est opinio praeiudicata pertinacissima!"

Mater mea prorsus misera semper semperque dicebat:

"At nihil dixi nisi... at quia Ludovicus..."

Maria eandem adiuvans: "Henricule" inquit, „ne obliviscaris Mammam hoc non dixisse malevolê."

Tum Bindinger loqui desiit et ego cogitavi istum adhuc tam stultum esse quam prius.

Tum Maria: "Scias" inquit, "Henriculum vehementer studere omnibus rebus, quae spectent ad professionem suam; alioquin est perquam

clemens atque placidus; sed in talibus rebus facile fit, ut indignetur", et deinde mater mea mox denuo exhilarata est.

Quae dixit: "Talis debet esse; oportet in rebus professionalibus naviter studere. Tu autem, Ludovice, nunc scis, quam facilis sit lingua graeca. Quidnam nunc facit Mimiliola? Quae hîc sedet perquam placidulê nec dicit ullum verbulum!"

Matre aspectâ puellula risit. At subito ore aperto dixit: "Gugudada."

Infantula pedibus palpitans manum erexit. Ergo nihil fecit insoliti. Tamen omnes se gesserunt, quasi miraculum esset factum.

Mea autem mater prorsus consternata semper vocabat: „Audivistisne? Puellula! Gugu-dada!"

Deinde Maria: "Quae sentit bonum esse attam^{*}. Nonne, Mimiola? Et caram esse aviola^{**}!"

Tum mater mea: "Babae, quam sagax est haec puellula! Tantulâ aetate cum sit! Talem puellulam numquam vidi! En carum corculum!"

Bindinger tam vehementer risit, ut apparerent dentes eius magni. Dorso super mensam flexo digitum ventri infantulae impingens dixit: "Exspecta, parvula, heus tu, heus tu!" Necnon ad matrem conversus: "Eadem cum sit animo vivido, circumiecta observat attentissimê. Spero fore, ut filiola mea pergat tam feliciter adolescere."

Mater voluit me quoque hoc videre, sed ego cum Bindingero irascerer interrogavi: "Quidnam dixit infantula?"

"Nonne audivisti eam perquam clarê dixisse: Gugu-dada?"

Tum ego: "Hoc valet" inquam, „prorsus nihil".

Maria autem voce perquam flebili: „Hoc valet attam esse bonum. Malevolus es, Ludovice!"

* **atta**, -ae f. (patris nomen puerile): orig. *Papa*.

** **aviola**, -ae f. (aviae nomen puerile): orig. *Oma*.

Nunc mater iracundê me aspiciens: "Quid est, cur hoc non intellegas? Hoc intellegitur ab omni homine". At ego: "Ego hoc prorsus non intellego".

Tum Bindinger exclamavit: "Quia omnino nihil scis, puer male môte!" et eius oculi fulguraverunt, quasi in scholâ doceret irâ incensus; "si umquam cognoveris Aristotelem, comprehendes sermonem parvulorum esse onoma-poeticum, quo verba confingunt sonos imitantes".

Iste vir tantâ voce rugivit, ut mirio* inciperet lacrimare. Tum Maria filiolâ bracchio impositâ huc illuc ambulabat. Mater mea iuxta eam ambulans dicebat: "Puellula nonne vult esse hilaris? Nonne vult loqui, gugu-dada?"

At Bindinger infantulam sequens dixit: "Hoc ne fiat! Ne loquatur filia mea hôc loco! Iste puer male môtatus expers est omnis reverentiae."

At equidem istud non flocci feci**.

**NARRATIUNCULAS
PUERI MALE MÔRATI
SCRIPSIT
LUDWIG THOMA
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

* **mīriō**, -ōnis m. orig. *der Fratz*.

** **nōn flocci faciō** alqd. orig. *ich mache mir gar nichts daraus*. cfr PLAUTUS Rudens 795 minacias ego flocci non faciam tuas. id. Trin.918. TERENCE, Eunuchus 41 *invidere omnes mihi ego non flocci pendere*. CICERO, Epistulae ad Atticum 1,16,13 φιλοσοφητέον et istos consolatus non flocci facteon.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS-LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM VICESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 27. m.Septembris a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae